

## S C H O L I O N.

Catholicum dogma de vera & seria Ministri intentione hisce fere argumentis oppugnare solent juniores Hæretici. Quid, inquit, Romani Sophistæ jocofam, mimicam, & fictam intentionem explodere conantur? Sane *Augustinus* non reprobat Baptismum mimice & joculariter administratum *l. 7. de Baptismo contra Donatistas.* Baptismum, ab Athanasio pueris cum eo ludentibus collatum per jocum & irrisionem, ab Alexandrino Episcopo ratihabitum referunt *Socrates*, & *Rufinus*. Pro vero & valido habitus est in Ecclesia Baptismus, quem *Genesius*, in *Theatro Mimi* personam agens, ad Christianæ Religionis derisionem, sibi conferri posulaverat. *S. Augustinus ipse Tract. V. in Joannem* baptismum a temulento datum approbavit; & *ipsa Romana Ecclesia* validam (quoad substantiam & characteris impressionem) existimavit Antipapæ Novatiani ordinationem, licet a tribus temulentis Episcopis manuum impositionem accepisset; ergo etiam jocosa & mimica intentio ad validitatem sufficit Sacramenti. At juxta cum ignarissimis sciunt juniores Hæretici, dum ita loquuntur: Primo enim *S. Augustinum*, fallaciae & simulationis nomine, non internæ & veræ intentionis absentiam, sed fidei defectum intelligere, ex eodem lib. 7. de *Baptismo* satis aperte confiat. Ipse autem *S. Doctor de Baptismo* mimice collato nihil decernit, sed expectandum dicit *Spiritus Sancti Oraculum*, & Ecclesiæ Matris definitionem. Quid igitur ad *Augustini* auctoritatem appellant post solemnem Ecclesiæ definitionem? *11. Factum Athanasii*, quod narrant *Socrates l. 1. Hist. c. 14. Sozomenus l. 2. c. 17. & Rufinus*, si ad severioris critices leges illud expendimus, falsum appareat. Alexander creatus est Episcopus Alexandrinus anno 312. Nicænum Concilium celebratum fuit A. C. 325. In hoc Concilio Athanasius erat Diaconus, & inter primi subsellii Theologos locum habebat; paulo post, mortuo Alexandro, anno 326. Athanasius ad Alexandrinam Sedem fuit electus; constat hæc omnia ex Chionologia *S. Hieronymi*. Jam vero si factum tanquam genui-